



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid sit affinitas, & quâ ratione contrahatur, & inter quas personas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

contra eum usque ad septimum gradum, in linea transversa, prout ex pluribus Decretorum iuribus *can. 33.* patet. De iure tamen recentiore Decretalium restituta fuit hæc nimia extensio, & impedimentum dirimens matrimonium ex consanguinitate ortum, intra quartum gradum constitutum fuit. *c. Non debet & h. t.* ubi plura etiam impedimenta talia antiqui iuris sublata fuerunt, & id tantum impediatur, ne validè inter se contraherent, qui intra quartum gradum sanguine iungebantur: & hinc, si duæ personæ consanguineæ inæqualiter à se invicem distantes, ita ut una intra quartum gradum consanguinea sit, altera vero in quinto vel sexto gradu, matrimonium contrahant, validum erit harum matrimonium, prout expressè habetur in *c. Vir qui 9. h. t.* cum remotior, à quo sumitur distantia ratio, ultra quartum gradum à communi stirpe distat: & falsum etiam est, quod omnes gradus consanguinitatis *Leviti 18.* expressè, sine iure naturæ dirimentes, cum nullibi in novo testamento hujus prohibitionis habeatur auctoritas.

SECTIO II.

De affinitate.

§. I.

Quid sit affinitas, & quâ ratione contrahatur, & inter quas personas?

Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, qui enim copulam carnalem perfectam, ad

generandam prolem sufficientem cum una aliqua persona habet, sit affinis omnibus illius consanguineis, sive licita illa copula fuerit, sive illicita, sive cum dormiente, invita & coacta, ebria, infana, &c. fuerit habita copula, &c. in eodem autem gradu sunt marito v. g. affines consanguinei uxoris v. g. & uxori v. g. affines sunt consanguinei mariti, in quo gradu marito, vel uxori consanguinei sunt, ita ut soror v. g. uxoris in primo gradu affinis sit marito, & frater mariti in primo gradu affinis sit uxori, quia in primo gradu sanguine juncti sunt illis, inter quos copula intercessit. Vocantur quidem etiam consanguinei utriusque conjugis se invicem affines, affinitas tamen hæc vulgaris tantum est, & nihil impediens, aut dirimens inter consanguineos utriusque conjugis matrimonium; & hinc possunt duo fratres cum duabus sororibus (cæteris paribus) contrahere, potest pater contrahere cum matre, & filius patris hujus, cum filia hujus matris, si personæ tales ex alio matrimonio genitæ fuerunt, &c. & quamvis asserant aliqui triplicem speciem affinitatis, juxta quædam antiqui juris capitula, certum tamen est hodie, nullam affinitatem inducere impedimentum dirimens, nisi quæ est maritum inter v. g. & consanguineas personas uxoris, ac uxorem inter & consanguineos mariti; aut fornicatam inter, & consanguineos ejus, cum qua fornicatus est, ac hujus fornicatæ & consanguineos illius, cum quo fornicatio commissa fuit. Quæ ad multas confusiones cavendas bene notanda sunt. Videantur plura de his apud *Aud. Metho.* vel *Theologos Morales.*

S. I. §. I.

§. II.

§. II.

Quousq; & quo jure affinitas dirimit matrimonium?

Sicuti consanguinitas, ita etiam affinitas, ex copula legitima & conjugali matrimonium dirimit in linea transversali usque ad quartum gradum inclusivè, *e. Non debet s. h. t.* si verò oriatur affinitas ex copula fornicaria, vel illicita, jure novo Tridentini Concilii dirimit matrimonium usque ad secundum gradum inclusivè, ut dictum. Probabilius autem est, quòd in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, sit jure naturæ irritum matrimonium inter vitricum v. g. & privignam, inter privignum & novercam, &c. & quamvis multam etiam probabilitatem habeat contraria sententia, quæ asserit non tantùm in aliis gradibus prohibitis affinitatis lineæ transversæ solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimi, sed etiam in primo gradu lineæ rectæ, negari tamen non potest conjunctionem talem suam habere contra jus naturale indecentiam, ut quamvis in reliquis gradibus sæpius dispensaverint Romani Pontifices, nunquam tamen in primo gradu lineæ rectæ.

§. III.

Virum affinitas superveniens dissolvat sponsalia de futuro, & an infideles conjuncti in gradu jure Canonico prohibito, post baptismum debeant separari?

AD primam quæstionem certa est responsio affirmativa, quod enim dirimit matrimonium contrahendum, uti-

que etiam sponsalia de futuro tollit, et hæc ad contrahendum matrimonium obligent, prout etiam habetur in *e. s. eo 2. h. t.* uti supra dictum.

Ad secundam verò quæstionem sic clarè respondet Pontifex in *e. De viduis 4. h. t.* quòd contractum ab infidelibus in gradu, jure Canonico prohibito, matrimonium, non debeat solvi, si postmodum ad fidem convertantur, cum enim tales infideles non subsint, dum infideles sunt, prædicantur Ecclesiæ, consequenter nulli obligentur impedimento purè Ecclesiastico, & consequenter validum est illorum in infidelitate contractum matrimonium, quos autem Deus conjungit, homo non sepat, dicit Pontifex in *e. s. eo.*

§. IV.

Quæ pœna sit contrahentium matrimonium in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibitis?

IN Clement. *Eos qui unicus* i. excommunicantur, & denunciari jubentur, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, constitutione Canonica prohibitis, matrimonium contrahunt: sicuti autem hæc excommunicatio non incurritur, per sponsalia tantùm de futuro, cum tali impedimento, contracta ita non requiritur ad incurrendam hæc excommunicationem, consummatum fuisse matrimonium, sed sufficit ad eam incurrendam, contractum fuisse cum tali impedimento scienter matrimonium, cum huic pœna hæc, non autem sponsalibus de futuro, aut consummato matrimonio imponatur. Dixi tamen scienter